



MAYROLAE DE MORBIS ACUTIS
1563









IANI VITALIS PANORMITANI, IN PSALMVM MISERERE mei Deus secundũ magnam misericordiam tuam.

Meditationes.

Eiusdem Epithalamium Christi, & Ecclesiæ,
Eiusdem Paraphrases in Psalmos De profundis clamaui, & Deus Misereatur nostri.

VIRTVTE



Desidia, Inuidia, Ira, Venus, Fumi, ardor habendi,
Et Gula, sunt Lernæ cuilibet Hydra suæ,
Sterne hanc, Virtutis claua; Torre ignibus, Hydram.
Amphithryoniades sic tibi uerus eris.

IANVS VITALIS HIER. SAVLIO Archiepiſ. Genuenſi, Bononiæq; Prolegato Ampliſs. S. P. D.



VOD tuus ſim Pater ampliſſime neſcio quibus officijs teſtari poſſim, niſi ut tributum tibi mearum rerum ſoluam, tuus ego quidem ſum, & propterea, quæcunq; ex me ſunt tibi debentur, Accipe itaq; has meas paucarum noctium uigilias et has lachrymas quas anima mea, coram ſuo creatore effundit, Non enim ſemper cum muſis loquendum, dandum eſt aliquando aliquid & ſolutæ orationi, qua ſpiritus humilitate Deus delectatur, repat aliquando humi Mens, & alta declinet, non ambiat uerborum, & ſentẽtiarum magnificos apparatus, aliud enim eſt Deum quærere, aliud uero Mundi gloriam, qui Deum quærit, exilis ſermonis tenuitatem amplectitur, ut quemadmodum ſpiritu alta deſpicit, ita etiam ſcriptis extenuatur, Nam ſi omnes ferè pij ſcriptores hunc dicendi modum data opera ambierunt, cur nos ab illo aborreamus? At alios multos dices in hoc ſtadio multa cum laude deſudaſſe, Non'ne omnes idem ſpiritus mouit? Multiplices ſunt Spiritus Sancti uocationes, nam hos alio, alios uerò alio modo uocat, & occultos aperit ſacræ paginæ nucleos. Ego uerò ſi ab eodẽ Spi-

ritu uocatus ad hoc ſim neſcio, ſcio certe ex animi feruore hæc omnia proceſſiſſe, Quod ſi idem ſpiritus non fabricauit in me Aurum, et Argentum, aut Gemmas, at certe non omnino aliquid inutile fabricauit, quod ita ut apud te natum eſt, utinam dignum ſit ut à te uideatur, Quòd ſi tuæ dignitati, et opinioni non reſpõdebit non ſuccenſendũ erit mihi, qui quæ mea ſunt, tibi dederim, ſed potius dolẽdum quòd de tam ſterili agro tibi tributum contigerit. Vale. Bononiæ VII. Kalen. Septemb. M. D. LII.

IN PSALMVM MISERERE MEI Deus secundum magnam misericordiam tuam Argumentum.



VM Dauidis exercitus obsidedet Rabba Syriæ ciuitatem Ammonitarũ duce Ioab Saruiæ filio, apud quẽ etiam militabat Vrias Bersabeæ elegantis formæ fœminæ Vir, cumq; eam aliquando Dauid lauãtem se, ex solario conspicaretur, uehementer illius amore incensus, ad se mulierẽ ipsam accersit, quam postmodum ex se grauidam, datis litteris ad Ioab ut Vriã in acie ita disponeret ut maximum periculum uitæ adiret, eo deinde ita interfecto, in uxorem accepit, quo facto ita in se diuinam cõcitauit iram, ut Deus eum per Natham prophetã admonuerit grauium ærumnarum, in quas propterea incursurus esset q bus acceptis bonus Rex in hũc cũ lachrymis psalmum, eius pœnitentiæ indicem, et magno cum mærore irrupit, quo iram Dei placauit.

Ad Lectorem.

AEquissime lector hoc te admonitum uelim in huius Psalmi interpretatione per modum meditationis introduci semper loquentem Dauidem, & omnia dicta esse in psona ipsius Dauidis. Vale.

IANI VITALIS PANORMITANI In Psalmum Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuā qui est. L. Meditationes.

» *Miserere mei Deus secundum magnam misericor-*
» *diam tuam.*



GO Domine qui transgressus sum mandata tua, ecce nunc per pęnitentiam ad te confugio, quem flagitia mea offenderunt, ecce ego met accuso me, præterquód, tanquā speculum impudentiæ meę, est semper contra me peccatum meum, iudex iniquitatis meæ, quod altera manu mihi panem ostendit, altera vero lapidem in me iacit, quod partim mihi blanditur, partim me in præceps Barathri, & in voraginē infernā rapit, peccatū inquā meū, in quod incidi, non imprudens, non coactus ab aliquo, non alienus à me, verúm sciens volensq; præuaricatus sum tibi, quem nunc medicum, quem deum miserationum inuoco, Tu igitur, qui solus sanas ægritudines male habētium, Miserere mei, mei dico, Animę meę, nā cum ego sim instrumētum iniquitatū, caro mea ministra est nequitiarum mea-

rũ, Anima ipſa eſt quæ peccauit, anima eſt quæ concepit, quæ peperit, quę aluit mihi perditionem meam, quæ propterea turbata eſt valde, & de ſcelerum peregrinatione ad ſe reuerſa clamat ad te, Miſerere mei Deus, Deus es, pater es, cuius proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, deus creas, deus parcis, pater creas, nõ ne pater parces? eris ergo propter ſolã iniquitatem meam alienus à propria miſericordia tua? à potentia tua? quæ fundata eſt in miſericordia tua, quæ tanto maior eſt, quanto enormiora ſunt facinora, & delicta iniquorum quibus indulges, & quoniam ego indigeo miſericordia tua, concede mihi vt ſim dignus eadem miſericordia tua, accipe igĩt me Domine Deus meus in magnum pelagus miſericordię tuæ, fui & ego aliquando miſericors, fui clemẽs in Saulem, cum ille quęreret perdere animam meã, & quia putaui eſſe Chriſtũ tuum, ſeruaui eũ, non ne eris tu mihi clemens? cum ſim ego non dico Chriſtus tuus, abſit enim à me omnis inanis gloria, ſed dicam ſeruus tuus, tu ergo vinci beneficio patieris a ſeruo tuo Domine? aut miſericordia tua delebitur à iuſtitia tua? Si miſericors es, ſi clemens es, non ne & iuſtus eris? quinimmo in iuſtitia tua miſerere mei, aſpice me deus meus, ne diſceſſe-

ris à me,ab intrinſeco homine meo, ab ani-
ma mea, quæ ſpiritu bonæ voluntatis ſuæ
pugnat aduerſus carnem meam, excludit ma
las cogitationes meas, & imbre lachrymarũ
mearum diluit ſordes meas, vt Spiritus San
ctus tuus habeat vbi in me habitet, abſceſſit
ſpiritus iræ, ſuccedat ſpiritus gratiæ, ceſſit ne
quitia mea, ſuccedat bonitas tua; Viſita igitur me,
caſtiga me, & miſereberis mei, caſtiga inquã
me, ne in hoc peccati contubernio indignus
fiam Miſericordia tua, caſtiga me ſecundum
magnam miſericordiam tuam & non ſecun-
dum magnam ſeueritatem tuam, qua caſti-
gaſti Core, Dathan, & Abiron, qua caſtigaſti
Idololatras Iſraelitas, ſed corrige me Dñe,
quemadmodum correxiſti eosdẽ Iſraelitas
inſolentes, cum dura ſeruitute Aegyptiorũ
premerentur, ut ſcilicet diſcerent quantum
præſtat ſeruire deo, quàm hominibus, Mun-
da me Deus miſericordia tua, quia labe pec-
catorum meorum contabui, ſaluum me fac
qui & ſalus es, & miſericordia de te oritur,
ſint tibi Domine meæ lachrymæ loco Holo-
cauſti. Ecce profero chirographum, quod
mihi in ſignum miſericordiæ tuę dediſti, quo
profiteris te nolle mortem peccatoris, ſed cũ
tu ſis ominum vita, acquieſcis vt conuerta-
tur, & viuat, Redde igitur me vitæ meæ,

immo vitæ tuæ, quia mortuus sum in conspectu tuo, qui es Vita Vitalis, peccatum meum iugulauit me, Da igitur mihi Domine intellectum tuum, hoc est intellectum uiuum, & viuã, & narrabo magna opera tua.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Domine hæc sũt magna opera tua, vt de iniquo iustum facias, de peccatore gratiosum, de Tarthari incendijs addicto, regni cælestis quæsitorem, de spiritu deniq; maligno, Angelum tuum. Hęc sunt profecto magna opera tua, quapropter confisus ego tuæ constãtissimæ clementiæ, & sciens q; non uocas iustos, vt iustificentur, sed peccatores, vt in eis opera tua glorificentur, non expecto vt tu voces me, ecce ego sitiens salutem ad te fontem viuum propero, quem tamen offendi, te interpello, quem ad iram, & furorem prouocaui, Peccator sum, iniquus sum, non tamen sum impius, te agnosco in Deum meum, à te quæro medicinam langoris mei, & stuporis mei, sana tu me Domine, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam, Non enim vna misericordia est in te, sed infinitę misericordię crepedines

qui ſcilicet,non ſemel, non ter, non quater, non ſepties,ſed ſemper, ſed infinite culpam ſuam remittis peccatori,dummodo conuertatur in ſpiritu tuo,Miſerere igitur mei peccatoris non leui illa miſericordia, qua in diluendis leuibus culpis in te delinquentium vteris,verum enim uero magna,immo maxima Miſericordia tua,qua perditos,&mortí addictos flagitioſos homines in viam tuã reuocas, & vitæ lumine illuminas,quos ſeptem lethalibus vulneribus ſauciatos, ſeptẽ anthidotis Spiritus ſancti tui ſanas,nõ enim meum delictum vna ſimplici miſericordia indiget,ſed multiplici,ſed infinita, Miſericors es tu, Miſericors filius tuus, Miſericors Spiritus ſanctus tuus,ſi unus es deus,& tot ſunt in te miſericordiæ, erunt ne igitur illæ fruſtra? Vtere obſecro his miſericordijs ad ſanandum me, & multiplices imbecillitates meas ſana,vt ego in æternum cantem has tuas miſericordias. Dele itaq; Domine mi de libro mortis iniquitates meas, quin potius me,propter iniquitates meas, ne ludibrium fiat anima mea inimicis meis. Dele oro te, flagitia mea,ut habeat miſericors Filius tuus ſuper quo vtatur veſtris miſericordijs, cum Verbum tuum,uoluntas tua, Rex gloriȩ,carnem hanc noſtram accepturus imbecillitatẽ

nostram induet, Ecquæ nam maior gloria est, quàm seruum in libertatem asserere, quã de iniquo iustum facere? quam Tartaro debita trophæa, patri æterno dedicare? habes itaq; in quo vtaris tot misericordijs, habes anhelantem salutem animæ suæ, habes pænitentiæ malleo attritum, habes agnoscentem potentiam tuam, clementiamq; requirentẽ, si igitur vocas peccatores ad te, quos misericordia iustifices, nonne iustificaueris me? qui non expectaui ut vocarer alia vocatione, quàm pœnitentiæ meæ, sed continuo ad te propero, quemadmodúm Ceruus ad fontem aquarum, Non ne tu verax Domine, & omnis homo mẽdax? Verax es tu quia? in Veritate filium tuum Veritatem genuisti, ad iuua igitur me, mendacem, veritate tua, quẽadmodum mendax ego sum ut tu sis verax, ut sim inquo Veritatem tuam Veram facias, Mendax ego sum, quia à te factus sum bonus ad bonum, & tamẽ ex me malus euasi, & declinaui ad malum, factus ad vitam, declinaui ad mortem, factus ad gratiam, declinaui ad iram, ac per hoc, ad peccatum. Quapropter meritò traditus sum desiderio in mundi cordis, & mundi iniquitatibus, & ignominiæ corruptæ carnis, atq; utinam Domine mi nõ adeo in conspectu tuo scateant flagia mea,

ſcelera mea, ut tradar in reprobum ſenſum, & puſillus hic ſplendor, qui in me viget Veritatis tuæ, conuertatur in tenebras, ſpirant enim vndequaq; peſtilentes Venti, qui meā lucernam vix adhuc ſcintillantem extinguere conentur, Præſtat itaq; vt ponam eam parumper ſub modium, nō ut abſcondam, ſed ut certior de Miſericordia tua, expectem donec Hyems trāſeat, imber recedat, & ver appareat amænum, quod ſuaui odore Vineā tuam, quæ eſt in me, repleat, & tunc ponam Domine lumen ſanctum tuum ſuper candelabrum, ponam conſcientiam meam in veritate tua defecatam, & mundam vt ſit exemplum, & appareat omnibus bonis, qui in domo tua ſunt, vt videant opera mea facta bona per te, & glorificēt te qui miſericordia tua me nouum hominem induere volueris, & exuere tenebras, & caliginem animæ meæ.

» *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato*
» *meo munda me.*

Nunc igitur laua me amplius, nā leuiter abluendo non mundātur ſordes, quę in immenſum creuerunt, cum indigeant maxima lauatione, quapropter obſecro te laua me, laua animam meam ſordidam, in mundam, cōtu-

macem, non semel, sed amplius, & iterum, atque iterũ, quandoquidem in tua manu est iustificatio mea, cũ in mea fuerit perditio mea, Et quoniam iniquus sum, adulter sum, homicida sum indigeo potissimũ triplici lauatione, laua me igitur tu Pater, laua me, tu fili, laua me tu Spiritus sancte, laua me tu deus meus hac triplici lauatione hoc triplici flumine tuæ Misericordiæ, quod erumpit ex eodem fonte tuæ clementiæ, Laua me ab iniquitate mea, qui lauaturus es genus humanũ ab iniquitate sua, non solum flumine Misericordię tuæ, verum etiam sanguine filij tui, sit hæc lauatio mea Domine, Typus illius magnæ, & vniuersalis lauationis, in qua vniuersam carnem reparaturus es á peccato primi parẽtis, ad nos, hereditaria execratione, & contagione deriuato. Laua me ab iniquitate mea, qui per Spiritum sanctum tuum, Aquarum Regem, omnia inmunda lauas, omnia arida irrigas, laua me, quem coinquinauerũt sordes peccati, irriga me, in quo aruit gratia tua, qui per Spiritum sanctum tuum animas per peccatum originis mortuas exuscitas, ac regeneras lauacro tuæ pietatis, qui pelago tuæ misericordiæ suffocas immensum põdus peccati nostri, qui aquis tuæ misericordiæ extinguis ignes horrendi barathri inextinguibiles, qui

deniq; aquis tuæ misericordiæ abluis peccata in te sperantium, Et à peccato meo munda me, ego quidem sum coinquinatus, & maxima indigeo lauatione, & in tuæ Misericordię flumen mergi cupio, non solum, vt lauer à sordibus meis, verũ etiam vt munder à peccato meo. Et quoniam nulla flumina, quamuis sint magna mundant sordes peccati, nisi ea quæ de te, erumpunt. Tu Deus qui es gratia, quam Spiritus Sanctus tuus in tibi confidentes partitur, munda me à peccato meo, quod adeo excęcauit me, vt solem iustitiæ tuæ non valeam intueri, cum omnia mihi salutaria caligent, & fiam quasi pullus coruorum à dulci parentũ pietate destitutus. Quomodo ergo solem iustitię iniustus intuebor? quomodo ego mortuus te Deum uiuũ contemplabor? quomodo, si in me est cor inmundum, spiritus inmundus, cogitationes inmundæ, & desideria inmunda, te Deum videbo: qui non nisi mundis corde te uidendum p̃bes? Sed qm̃ sordent tibi ea, q̃ sunt inmũda & q̃ syncera sunt amplecteris, en peto vt inmũditię meę te indulgẽte, ac ꝑ hoc mundãte, conuertantur in puram synceritatem, & in syncerã puritatem, et ita peto vt lachrymarum mearum imbre iam incipiam lauare saniem vulnerum meorum, quòd si tu oleo

misericordię tuæ vngues papulas meas, eliphantidem meam, sanabis me, & mundabitur peccatum meum, & fient lachrymę meæ salus mea, non quia lachrymę meæ, licet ex abrupto cordis, & ex intimis visceribus prorumpant, vim habeant iustificādi me in conspectu tuo, á quo omnis iustificatio ꝓcedit, sed quoniam lachrymę, & pęnitentia peccatorum alliciunt clementiam tuam, cogunt misericordiam tuam, auertunt seueritatem tuam, iustificet igitur me domine mi nõ meę lachrymę, quas iugiter fundo, sed tua misericordia, quam iugiter inuoco, sed tua gratia, quam iugiter imploro.

" *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.*

Et quid est Domine mi quód alias dixi Mane me astare tibi? Et nunc semper fugio á cõspectu tuo? nempe quia occidit mihi mane illud lucidum, & exorta est Nox tenebricosa, quid est quód dixi in virtute tua lætari me Regem? & nunc regalibus insignibus abiectis, humi prostratus, cilicio, et sacco indutus imploro misericordiam tuam? quin immo et cinere, loco panis vtor, & lachrymæ mihi in potum succedũt, quid est hoc? nisi quód vir-

tus tua, quę stabat pro me, qua vrsum, & leo
nem straui, nunc aduersus me indignat? quid
hoc est inquam, nisi quòd cognosco iniqui-
tatem meam? & tanto manifestius cognosco,
quanto etiam scriptis meis testatus sum, te
perditurum virum mendacem, & abomina
turum sanguine, & dolis gaudẽtem, Nempe
iniquitatem meam ego cognosco, quoniam
mendax factus sum tibi, cum herẽdo iniquo
rum semitis, reliqui vias tuas, reliqui æquita
tem, & bonitatem tuam, ad quam contẽplan
dam, natus eram, Mendax ideo factus sum
cum exui hominem, indui belluam, mendax
factus sum, cũ exui gratiam, indui iram, cum
exui iustitiam, indui peccatum, Mendax deni
que factus sum, cum pollicitus sum tibi me
intuiturum oculis meis tuam æquitatem, &
tamen auertens oculos á te, amplexus sum
meam iniquitatem, Ecce igitur quoniam ini
quitatem meam ego cognosco, non abscon-
do, illam verùm coram omnibus pono, om-
nibus notam facio, vt cũ tu indulseris mihi,
cognoscant omnes quòd Deus misericordia-
rum es tu, cognosco itaq; iniquitatem meam
maximam esse, & ideo maxima indigere mi-
sericordia tua, & quia cognosco eam confi-
teor eam, & confiteor tibi, qui non solũ ver-
ba prolata audis, verùm etiam cogitationes

cordis noſtri examinans,& bonę mentis iu-
ſta deſideria exaudis , cognoſco itaq; quã ſit
fęda,& purulenta iniquitas mea, & nihil eſt,
quód ego cognoſcam eam,niſi & oẽs cogno
ſcant;vt eorũ,qui me cognoſcunt, cõſcientię
intelligant quantum mihi tribuendum ſit,
qui cum arbitrentur me eſſe vas electionis;
cognoſcant me factum eſſe voraginem per-
ditionis,& petrã offendiculi , qua omnes iu-
ſti offendantur . Ergo ego cognoſco me qui
nihil ſum,cognoſco iniquitatem meam,quæ
in tenebris habitat , & non cognoſco te do-
minum deum meum,á quo ſum , qui lumen
habitas puriſſimum, non cognoſco ego quẽ
omnia cęleſtia,terreſtria,& ĩferna cognoſcũt
venerantur,& tremunt,At cognoſco quidẽ
& tanto magis ab intimis medullis doleo,an
gor,& excrucior quãto oculatius cognoſco
cuius aliquando templum fui,habitaculum
fui,eius inquam,qui me ad imaginem,et ſim
litudinem ſuam formauit, & conſtituit , qu
mihi populum ſuum dilectũ regẽdum trad
didit,cui templi ſui ſancti ędificationem con
miſit. Heu mihi domine, ille ille miſerrimu
omnium mortalium ego ſum,qui te male co
gnoſco, quia non cognoſco , vt debeo , qu
cum te agnoſcere deb eam agnoſco iniquita
tem meam,quæ me,vt non cognoſcã te aue

tit a te,

tit a' te, quæ mihi nubem præ oculis effundit ne hauriam auram luminis tui. At est aliud quod me grauius affligat, nam præter quod iniquitatem meã, ego cognosco, ego inquam ex me ad amussim per te cognosco, quæ sit moles peccati mei, quia me vrget, suffocat, euiscerat, & tamen prẹter id tormentũ quod in me est, peccatum etiam meum contra me est semper, peccatum meum carnifex meus, qui exclamat aduersus me, coram maiestate tua, coram Rege vltionũ, exclamat inquam vindictam, quia O rapacitatem insatiabilẽ, o singularem ingratitudinẽ, o teterrimam crudelitatem, non solum vnicam ouem pastori mihi obsequẽtissimo abegi, verumetiam ipsum pastorẽ violentissime trucidandum dedi, quia cũ thorum alienũ inuasissem conscientiam meam iusto sanguine crudelissimus fẹdaui: Ideo peccatum meum vastitate molis suæ obuersatur mihi semper præ oculis, hinc enim video Bersabeam a me seductam, violatam, stupratam, illinc Vriam innocentissimum, & fidelem, & tamen a me ignominia, adulterio, & violẽtia homicidij deformatũ, horũ ego in medio constitutus ab altera præter honestatem, & integritatẽ coinquinatam virũ suum dilectissimum efflagitor, ab altero vero eius honorẽ fidẽ, amantissimamq; vxo

rem vna cum vita amissam petor. Tu iudex iustus supra me sedes, gladiumque tuæ iustitiæ vibras, quid respondeã illis non video, quid reddam non habeo, solum habeo peccatum meum, quod est in me, & id quidem adeo est in me, ut semper obuersetur mihi prę oculis, quapropter quid respondeam non habeo, quod reddam non video. En respondent tibi pro me Domine lachrymæ meæ, & causam meam ipsę supplices coram te agunt, illę quidem coram te, non ego coram te, quia coram me est peccatum meũ semper, ideo non sum ego coram te, sed ea quæ est coram te est imago meæ iniquitatis, ego vero in tenebris delito, & licet non sim coram te, tamen exclamo ad te Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam, quoniam iniquitatem meã, ego cognosco, & peccatũ meum cõtra me est semper, scio quod iusto iudicio accusor, & iudicor, nõ tamẽ me defendo, sed lachrymę meę sunt defensores mei ab arietibus iræ tuæ, quos admouisti mihi, fateor me peccasse, fateor magnã calamitatem in quam incidi, quia magna fuit nequitia mea, quapropter suppliciter imploro magnam misericordiam tuam, fateor ego quidem nequam sum iniquus sum, iniustus sum, sed quando aliter iustificari non valeam sit mihi saltem

loco iustificationis meæ, quod fateor me deliquisse, & cecidisse a gratia tua, erige tu me iacentem, solare penitentem, accipe ad te venientem, quia peccatum meum cõtra me est semper, Ecce ego relinquo me, & confugio ad te, in me enim nihil mei est, totus sum in te. Nam in me est peccatum meum, crux mea flagellum meũ, mors animæ meæ, quod cum sit in me, & coram me, tamen me semper accusat in omnibus meis actionibus, & cõsciẽtiæ meæ imbecillitatem sentibus pungit iniquitatis, ac prę oculis obijcit mihi præuaricationem meam, fraudẽ meã, offensionẽ meam.

" *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cũ iudicaris.*

Quæ omnia cum sint in me ideo peccaui tibi soli ego ingratissima creatura peccaui gratissimo creatori meo, ego nouus Adam transgressus sum mãdata tua, peccaui itaq; tibi patri omnipotenti, peccatum grauissimum admisi in te in maiestâtem tuam, cum vxorem alienam violauerim, quaquidẽ in re grauius delinquisse mihi videor, quam ipse Adam, nam quod Adam præceptum tuum non seruauit excusationem aliquam habuit, hortatricem habuit vxorem, præuaricatorem ha-

buit serpentem seductus est, inebriatus est fę mineis blandimentis irretitus est, non potuit vxori suæ a te sibi in comitem viæ, ac vitæ sociam datę ex sua ipsius carne formatę non acquiescere, non morem gerere, non assentiri. At ego infelicissimus peccator castissimā mulierem viro abstuli, virum substuli, me in perditionem dedi, & cum essem Spiritus sancti tui templum factus sum domicilium Sathanæ, cum essem filius gratiæ, factus sum filius iræ, in te igitur Pater mi peccaui, contumacia, fornicatione, in manitate, tribus capitibus erigitur in te hęc mea inmanis Hydra, multo itaq; maior mihi videtur esse inmanitas peccati mei quam, quod aliud possit cogitari, immensum peccatum Adæ quædam contumacia fuit, & meum contumacia quidem fuit, illi præcipis, ne arboris lethalis fructus attingat, mihi per Mosem præcipis ne vxorem alienam quæram, neq; cupiam, ille lapsus est, ego lapsus sum, ille cōtumax fuit, transgressor fuit, ego contumax, trāsgressor, & homicida, ille periclitatus est in peccato suo, & vniuersum genus humanum secū ad pœnam traxit, quam nobis iure hereditario imposuit, & ego saluer? nisi in misericordia tua? & tamen, liceat modo verum dicere, veritas enim tua latere nō potest, spero vt con

donentur mihi peccata mea,id quod non eſt conſequutus Adam, non eſt conſequutus, quia propterea mittēdus erat filius tuus,ipſe quidem Adam reiecit in te omnem culpam, quo'd dederis ei Vxorem malorum conſilio rum altricem,& propterea peccauit grauiter quia voluit defendere iniuſtitiam, & abſcon dere iniquitatem ſuam tibi,cui etiā cordium cogitationes patent,peccauit igitur,& de fo mite peccati molem ędificauit iniquitatis, & perditionis,te iniuſtum,imprudentem,præ- uaricatorem inſimulauit,pęnitentiam excuſ ſit,cōtumaciam recepit, in Spiritū Sanctum tuum,in quo eſt remiſſio peccatorum, men- tem concitauit,verbum iniquum, dixit pec- catum admiſit, pœnitentiæ mallio non con- tritus,Ego vero fateor quia ꝙ peccaui ęx me fuit,non ex te,immo ex me peccaui in te, & tamē omnis mea ſpes eſt in te,cui peccaui, & a Medico meæ iniquitatis telis petito,medici nam imploro, peccaui tibi ſoli, adulterium perpetrando,nō tamen peccaui Spiritui,ſan cto tuo,pænitentiam non agendo,At nec ſa tis erat flagitij admiſſū, tibi ſoli peccaſſe, ſed accedit ad hoc, alia moles peccati ꝙ feci ma- lum coram te,& cum nihil ſit peius malo,ni- hil melius bono,feci malum coram bono,im mo coram optimo deo admiſi peſſimū pec-

catum. feci peccatū coram gratia, accepi mortem coram vita, coram maiestate tua, immo cū tu esses in me p̄ imanitate, & mole mali cō tinuo discessisti a me, nam maior est nequitia mea, quam fuerit iustitia mea, iustitia enim lapsa est, nequitia præcipitauit me in voraginem omnium malorum, feci ego malum coram filio tuo homicidium admittendo, ille enim veniet moriturus vt hominem lapsum a morte reuocet, & exuscitet, ego labens hominem viuentem morti tradidi, illum misericordia ad hoc inflammabit, me prodigiosa libido, & truculenta crudelitas ad mortem irritauit, sed quoniam multo maior est misericordia tua, quàm omnia quę esse possunt in omnibus simul mortalibus scelera, & licet lęserim te Patrem lasciuiēdo, te filium occidendo, tamen misericordiam tuam imploro, & a quo implorem? an a patre cui peccaui? an a filio coram quo malum feci? Nempe imploro misericordiam a Spiritu sancto, qui Patris & filij est placator, a quo fontes misericordiarum perpetua effluunt clementia, in quo renascuntur qui viuunt, & a quo viuūt omnia quę nascuntur. Tu igitur Sancte Spiritus qui cum ignis sis splendidissimus, regnas in aquis liquidissimis, cum sis vita incorruptibilis mortem distruis corruptibilē̄m, cum sis

consolator afflictorum, delicta eluis peccatorum, qui patris & filij es insolubilis concordia, hauri tu has meas lachrymas, audi vocē gemitus mei, aspice me humi iacentē, nec ad te oculos attollere audentem, sed tantum iniquitatem meam confitentem, Aspice tu, aspiciet Pater, audi tu, audiet filius, atq; inde ex patris aspectu, & filij auditu, reuertetur ad te gemitus meus comittetur sibi causa mea subijcietur iudicio tuo, qui mihi non es iratus, cui non peccaui, aut obstinatus restiti, confido ego tibi, quia misericors es iudex, & iudicium tuū est in misericordia, immo iudicium meū a me est, in lachrymis meis est, non quia lachrymę meę iudicēt, me iustificent me, abluant me, sed q; misericordia tua disposuit eas, vt quam primum ex oculis rorare cęperunt iudicatus in misericordia, ac in clementia iustificatus fuerim. O solidam igitur misericordiam, o inexplicabilem clementiam, quę peccatores corrigit, iniquos iustificat, peruersos conuertit, sanctos sanat, mortuos viuificat, beat viuentes, in qua ego conuersus sum ad te Domine Deus meus, licet malum fecerim coram te, ante clementiam tuā, contra te omnipotentem, & licet non ceciderim, vt erigi noluerim, tamen quia cōuersus sum ad te, & tu in quacunq; hora pęnituerit peccatorem,

ac peccasse doluerit, non recordaris amplius omniũ iniquitatum eius, deleturq́; de libro malorum nomen eius, contigit mihi, vt iusti ficeris ꝑme in sermonibus tuis, atquid dixi ꝑ me? quinimmo ĩ me per flagitia mea cõsummares ꝓmissa tua, vt non recorderis iniquitatum mearum, fui itaq; malus ad bonum, fac igitur tu me bonum ex malo, quia peccator sum, facinorosus sum, gemebundus ad te venio, at in quo veros facies sermones tuos, nisi in peccatore? an iusti misericordiam tuam implorent? qui quia fideles fuerunt in te, ex fide uiuũt, si peccatores misericors Deus vocas, si medicus ægrotos, ecce ego venio peccator, venio ægrotus, miserere mei peccatoris sana me ægritudine animę meæ laborantem Tu misericors, ego peccator, deme peccata ex mundo, nõ erit in quo misericordiã tuam exerceas, quem tuearis iustitia tua, non enim Dominus est sine seruo, neq; iudex sine reo, Tu dominus, ego seruus, tu iudex, ego reus, miserere igitur mei, & sermones tui in me iustificabũtur, adimplebis in me ea quæ scripta sunt de misericordia tua, nam cœlũ, & terra periclitabuntur, verba autẽ tua inuiolata permanebunt, cum ergo misereberis mei, & delebis iniquitatem meam, gratiã tuam infundens super me, & ego iustificatus euasero se-

ueritatem iustæ sententiæ tuæ, Tu dñe Deus vinces in huiusmodi iustificatione, nam vinces me, quia ego properabam ad malum, & reuocaueris ad bonum, vinces etiam eos qui dicunt me ita lapsum esse a gratia tua, vt non possim euadere indignationē, & seueritatem tuam, vinces etiam eos, qui iudicant te, & dicunt, si Deus est Deus vltionum, & hic admisit iniquitatem in conspectu Dei, iustitia dei nō esset iustitia, sed iniquitas si seruaret eum, quia ipse iniquus est, deus autē est iustus, Tu vero cum me iustificaueris, & confirmaueris misericordia tua, tunc euasero vltionē tuam, & qui mihi debebas esse Deus vltionū, eris Deus misericordiarum, & loco iustitiæ aspirabit mihi gratia tua, & ita vinces temerariū preiudicium eorum, qui mihi aduersantur, et secundum prauas cogitētiones, aut desideria sua iudicant de misericordia tua, quos tu insanos, & iudiciјs carnalibus cōfusos a te abijcies, ꝙ iudicent Christos tuos, non est enim Iudex præter iustum Iudicem, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos.

" *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in*
" *peccatis concepit me Mater mea.*

ECce accusant me inimici mei, iniquitates meæ, in iudicium vocor coram maiesta-

te tua, reus sum adulterij, iniquitatis, non tamen impietatis, ecce peccatum meũ agit causam contra me, pęnitentia, & lachrymæ meę interpellant misericordiam tuam apud te, tu iustus iudex in misericordia sententiam promulgas, sed quoniam tu solus es bonus, & præter te nullus est iustus, cum omnis homo sit mendax, tu bonus iuxta bonitatẽ tuã fers sententia, ecquam sententiam? bonam sané, Audite Peccatores hoc diuinum decretũ consolamini qui desperatis de misericordia Dei quia in pænitẽtię dulcedine deletur peccati amaritudo, scribite itaq; in cordibus vestris hanc salutarẽ sententiã, & abstinete á malo, et inuenietis apud deũ aduocatum diuinæ miserię præconẽ ipsius Dei Clementiã, Ecce ergo sentẽtia decernitur á Deo qui tutelam peccatoris suscepit, clientelam delinquentiũ ad se auocauit inquit enim, In quacunq; hora pænituerit peccatorem non ero amplius memor iniquitatũ eius, Ecce loqueris tu Iudex, & profers clypeum pro me, & suscipis patrocinium meum, apud quẽ suscipis tu? nempe apud te ipsum, ó iudiciũ veré paternum, ó uere diuinum, & misericordiæ plenũ Vbi præter quód actor interpellat pro reo, reus nihilominus agit causam suam coram agẽte, ubi reus impugnatur á se ipso, & actor defendit impugnantem, quis vnquã condẽ-

nabitur in hoc iudicio? si pænitentiæ securi succidãtur nequitiæ radices? si contritio nõ ficta, nõ preuaricatrix, non ambitiosa, sed in fide, in Spe, & in vera Caritate fundata, quę sua sint profert? nemo profecto coram clementiæ diuinæ tribunali non absoluetur, & hoc non nisi vt iustificentur sermones tui, tua ꝓmissa, & in illis uincas eos, qui te secus facturum iudicabant, En igitur ad te interior homo meus exclamat quöd sit homo ex fæmina æditus, ex peccato ad peccatũ, ex amaro semine peccati ad amarissimos fructus peccati, non enim mirum est si vnaquęq; forma sequatur suam materiam, Mater mea est materia mei peccati, ego autem in materiæ huiusmodi adipe impinguatus formam indui peccati, sed non ne anima mea in manibus meas semper? cum potuissem eam gratia tua afflante forma boni decorare, malui materia mali polluere, quaꝓpter licet ego in iniquitatibus conceptus sim, & licet mater mea conceperit me in peccatis, nõ propterea debui maternas iniquitates sequi, sed paternam bonitatem imitari, Mater mea terra est, vermis est, corruptio, & putredo est, Pater meus tu es deus meus qui es in cælis verus, optimus, ac sempiternus, Miserere ergo mei Deus meus, & hoc tantùm propter magnam

misericordiam tuã, Hæc interior homo meus ad te exclamat, Ecce igitur rem notabilem ostendis, ecquid ostendis? Actorem nempe factum reum &iudicem ipsum rei defensorẽ, Ecce.n. inquit deus cõceptus es in iniquitatibus, Natura q̃ creauit te ex semine iniqtatis, nõ potuit amouere a te quod iniquum fuit, Qm̃ omnes, in Adam mortui nati sumus, quousq; veniat qui mittendus est, in quo viuificabuntur qui audient eum, Mortuũ corpus quid sapere possit nisi cadauer? deme mortem quę in iniquitatibus est, sapiet Deũ, deme quæ sunt Dei, sapiet peccatum, ergo quid in mortuo condemnabimus? an carnẽ quæ mors ipsa est? an Spiritum, qui ad iniquitatis domicilium descendit, vt faceret habitaculum sanctitatis, & repulsus à latronibus, à crassaloribus sæculi reuersus est ad Deum? à quo uenerat, ergo quid animaduertẽdum in hominem mortuum? quid pugnãdum contra ea quæ non sunt? Ergo Domine Deus meus vis vt suffragetur mihi, ꝙ infirmus sum, ꝙ quasi vas figuli factus sum fragilissimus, At ego debebam ad solem tuum oculos aperire, & mortem meam à me procul depellere, & te agnoscere in lætitia tua, non in lachrimis meis, At quomodo homo, qui in iniquitatibus conceptus sit, lætitiam

tuam sine gratia tua hauriat? quomodo gratiam sine merito? quomodo meritum si cum culpa? si ergo traxi mecum ab vtero matris meæ culpam, & non meritum, nempe meritum venit à te culpa, a pecccato, culpa p̱ me, meritũ per te, si ergo traxi culpã, p̱p̱ peccatũ traxi, si quid meriti in me est, à te est, ergo in me fuit mors mea, & non vita mea, mors propter peccatum meũ, quod occidit animam, est vita à te, quia dedisti mihi habenas animæ meæ in manu mea, voluntati meæ, arbitrio meo commisisti illas, in manu mea ergo erat ut valerem, & abdicare me à peccato in misericordia tua, at quomodo simul esse possint & culpa, & meritum? nisi quia in libertate nostra cõstituti, & excusso iugo legis, & peccati sub beneficio gratiæ pro vniuscuiusq; captu mancipati alterutrum eligimus? in culpa natus sum in peccatum incidi, at meritum a te est, mecum abluitur culpa mea hoc lauacro, nam ceu culpa obruit, & delet meritum, ita p̱nitentia obruit culpam, reducit meritum, nam culpa in malo, meritum in bono, culpa a fomite peccati, meritum a fonte gratię, culpa ad mortem, meritum ad vitam, culpa in corpore, meritum in spiritu. Ergo in iniquitatibus conceptus sum iniquus, in misericordia tua fac me merentem, vt meritum super.

abundet, pęna, & culpa extermínetur, Miſe rere itaq; mei Deus, & quia in iniquitatibus conceptus ſum, & quia in peccatis concepit me mater mea, immo nouerca mea, perditio mea, corruptio mea cõcepit me, fundauit me coagulauit me, auſpicata eſt me ĩ peccatis, in iniquitatibus, nõ enim dico in peccato, in ini quitate, ſed in peccatis, ſed in iniquitatibus, ſi igitur mea ſunt peccata quæ originẽ mecum traxerunt a maternis iniquitatibus, ſi iniqui- tates quæ cognatæ mecum ſunt a maternis peccatis. Tu qui ſolus tollis peccata mundi, elue tu deus ſolus notam, quam mihi inusſit mater mea, ſeu potius nouerca mea, aut ve- rius mors mea, per eam enim Mors aditum habuit in me, & quæ erat mater gratiæ facta eſt mater iræ, o crudelẽ matrem, o matrem q̃ mortem filiorum maluit quam vitam, o ini- quam matrem, immo potius Caucaſeam Ty gridem in qua mortui; & propter quam in iniquitatibus, & in peccatis concepti ſumus cum a te facti ſimus ad vitam, ad bonum, ad præpotentem vim tuam contemplandam.

" *Ecce enim ueritatem dilexiſti, incerta, & occulta*
" *ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.*

PRomulgata igitur pro me tã ſalutari ſen- tentia qualem vix ſperare audebam, &

ſi tu es deus miſericordiarum, & deus vltio-
num,ecce omiſſa ſeueritate vltionis tuæ, re-
ſpicis miſericordiam tuam,qua dilexiſti veri
tatem,quia uoluiſti vera facere promiſſa tua,
qui adeo veritatem diligis,vt in veritate ve-
ritatē mittere pollicitus ſis,quę eſt filius tuus
dilectus in quo tibi complacuiſti, hanc ergo
veritatem dilexiſti, in qua deleretur menda-
cium quod eſt peccatum regnans in filijs diſ
fidentiæ,qui vere ſunt mendaces, quia deſci
uere a veritate tua, hanc igitur veritatem di-
lexiſti in qua probaſti miſericordiam tuam,
in me, quod ideo noui, quia dignatus es ma
nifeſtare mihi ea q̃ ſunt uera, licet Iudeis ſint
incerta,& gentibus occulta,uera inquam filij
tui,ſapientiæ tuę ſubſtantiæ tuæ, quæ mani-
feſtata mihi per Nathan prophetam tuum,
cum mihi uaticinatus eſt uerbis tuis, ꝙ poſt
dormitionem meam poſt decurſam uiam ui-
tæ meæ,ſuſcitabis ſemen meū poſt me,quod
egręditur de lūbis meis, & firmabis regnum
eius uſqꝫ in ſempiternū, & eris ei in patrem,
& ipſe erit tibi in filium, Manifeſtaſti igitur
mihi ea,quæ non erant manifeſtanda morta-
libus,quia omnem humanum captum exce-
derent,ſapientiam tuam manifeſtaſti mihi,ni
mirum ſapientiam inſipienti,incerta obtuſo,
occulta cæco, Veritatem mendaci, & tamen

manifesta esse mihi uoluisti, Vidi omnia mirabilia Spiritus sancti tui ĩ spiritu tuo, in qua patefacta sunt illa mirabilia enigmata admirabilis generationis filij tui, manifestasti inquam enigmata tua, non in enigmate, sed in speculo tuæ ueritatis, in ueritate tuæ sapientiæ, tuę substantiæ, quæ est filius tuus. Manifestasti itaq; filium tuum ueræ ueritatis manifestatione, quem iam mihi uidere uideor, Circuncisionis legem abolentem, & regenerationis fontem aperientem, quapropter.

" *Asperges me Domine hysopo, & mundabor lauabis me. & super Niuem dealbabor.*

SEd quoniam uideo ꝙ in prępucio non est iustificatio, quę translata est ad fontem gratiæ, clamo ad te huius misericordiæ, harum gratiarum promum, qui mihi per te promissus est, Asperges me dñe hysopo, utinam aspergas me, utinam uideãt oculi mei salutare tuum, & aspergar hysopo tuę misericordiæ, qua aspersione munder a lepra peccati mei, qua aspersione fiet ut lauer ab iniquitatibus meis, lauabis itaq; animæ meæ sordes, & dealbabor super niuem, ultra niuem fiam candidus, purus, ac defecatus, solẽt. n. ea tibi placere, quę candorem habent in se uirginalem,

quæ non

quæ non ſint coinquinata contagione, & cœno carnali, Vnde tu ingreſſus candorem virgineæ alui niuem tuã coagulabis arcano coagulo, nam quemadmodum nix antequam ſit nix in regiõe aeris ros eſt puriſſimus, & deinde fit nix cãdidiſſima, poſtremo in aquam vertitur liquidiſſimam, ita filius tuus deſcendet quaſi ros de cœlo, de ſubſtãtia tua, & coagulabit vt nix in vtero Virginis, & deinde ſalua Virginitate deliqueſcet quaſi aqua, nitidiſſima, vſq; adeo nitidiſſima, vt ea ablutæ purgentur vniuerſę fidelium maculæ, quæ ſi fuerint delibutæ iniquitatibus velut eſt coccus colore biſſino mundabuntur, & dealbabuntur quaſi nix, laues igitur tu me Domine Deus meus, & renouabor, nouum hominem induam, & ab immunditijs meis dealbabor ſupra niuem humanæ fragilitatis, non ſupra niuẽ diuinę beatitatis. Nam nix hæc quę noſtris oculis aſpiciẽda ſubijcitur, eſt imago cæleſtis illius, quam cordis oculis contẽplamur, hæc riget frigore immanitatis, illa feruet ignibus charitatis, hæc liqueſcit ſole elementari, illa ſolidatur ſole iuſtitiæ, merito igitur dealbabor ſuper niuẽ ſi in miſericordia tua mundabor, ſi iuſtitiæ ſoliditatem conſecutus fuero, nec ſolum mundabor, verum etiam & dealbabor ſuper niuem, de atramento nequitiæ

fiam nix iuſtitię quę ego quidem omnia con
ſequar cum.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exul-
bunt oſſa humiliata.

EC quando hęc erunt Domine mi? nempe cum auditui meo dabis gaudium, & læti tiam, cum adimplebis, ea quæ a te mihi per Nathan prophetã de filio tuo nunciata ſunt, cum auditui meo per Spiritũ ſanctum tuum dabis gaudium, facies me participem tui gau dĳ, quia uerum gaudium eſt a te, a rebus tuis, a diuinitate tua, quod annunciabitur per angelum tuum, filius tuus dilectus annunciabitur dico paſtoribus cuſtodientibus in nocte caulas gregis ſui, quod gaudium non ſolum eſt in te, ſed diffuſum a te extendetur in omnes populos, Dabis igitur Spiritui meo gaudium tuum de filio tuo, & dabis etiam lætitiam, quæ eſt de rebus terrenis, nam lætatur corpus, Gaudet anima, cum tamẽ a te contingat & gaudium, & lætitia; qui igitur gaudent, gaudeant in te, quia tu es verum gaudium, qui vero lætantur, lętentur propter te, quia iuſtitiam tuam tribuis lætantibus in te, dabis igitur auditui meo gaudiũ, & lætitiam, ecquid potero audire ego in ærumnis meis,

in angustijs meis, quod mihi afferat gaudiũ, & lætitiam? Nempe domine si Nathan seruus tuus dicat quod tu reuerteris ut gaudeas super me in omnibus bonis, sicut gauisus es in patribus meis, quoniam gaudium tuum, dulcedo mea, quã das seruis tuis, quia q a te desciui, non est in me gaudium, sed est spiritus afflictus, & anima turbata, des igitur auditui meo intellectui meo, non solum gaudium futuræ lætitiæ, sed etiam lætitiam futuri gaudij, & ossa mea humiliata exultabunt inter gaudium Dei præsentis, & lætitiam tui filij venientis, & exultabunt inquam duplici exultatione, nẽpe exultatione gaudij, & exultatione lætitiæ, Gaudium in anima, lætitia in corde, Dabis tu auditui meo, intellectui meo, spiritui meo, animę meæ, gaudium, & lætitiam aduentus filij tui, nam carni meæ nõ dabis, quia ossa mea, tunc erunt humiliata, erunt in sepulchro terrenæ humilitatis, sed ea ossa, quæ eo tẽpore erunt humiliata, exultabunt, & lætabuntur in cubili suo, propter gloriam generationis huiusmodi, nunc quia ego mortuus sum in peccatis, nihil sum in conspectu tuo, nisi tantummodo ossa, & ea quidem arida, humiliata, afflicta, ergo ea ossa exultabunt, quæ nũc in angustia mortis sunt humiliata, Exultabunt inquam in te, in quo

exultant montes, ut Arietes, & colles sicut agni ouium, ea ossa, in quibus est putredo, qiua exercui res dignas cõfusione, exultabũt, in te, ĩ quo oia exultãt & pp quę exultãt, & p̃ ter quę nõ est exultatio, sed dolor, & timor, quibus perpetuis tortoribus angimur sperã- tes in ea quæ non sunt a te, nam si bene est nobis, futura mala timemus, si dolemus, iam nihil est quod timeamus, intus est Vermis no ster, vultur noster, carnifex noster, qui consci entiam nostram purulentam continuè lanci- net, sed quomodo possunt exultare ossa mea quę adeo humiliata, & debilitata sunt in pec catis, ut iam mortua sint? quomodo exulta- bit creatura irato creatore? quomodo seruus iniquus, & perfidus confugiet ad Dominum iustum pistrinum, & verbera non timens? Creatura sum fateor, sed creatura tua, seruus tuus, tu creator, et dominus meus, sed desciui me miserum a te, & ex seruo tuo factus sum seruus peccati, & creatura perditiõis. Tu qui es liberator, & gloria tua libertas nostra, non liberabis me ex hac mortis, & inferorum ser uitute? & quomodo liberabis, si testis meus, peccatum meum, accusator meus coram me est semper? & vbi ego sum ibi & peccatum est meũ? & tu maxime odisti peccatum? adsit domine misericordia tua inter te, & me, &

exterminabitur a me peccatum meum, ne tu videas peccatum meum, quod arguat me iniquitatis apud te.

„ *Auerte faciem tuam a peccatis meis, & omnes ini-*
„ *quitates meas dele.*

AVerte faciem tuam à peccatis meis, auerte iram tuam à me, auerte aciem gladij furoris tui á me peccatore, sed noli auertere aciem misericordiæ tuæ à me, noli auertere clementem faciem tuam à me supplicante, sed auerte eam a meis peccatis, quia facies tua gratiarum est plena, auerte faciem tuam á facie peccatorum meorum, quæ nigra facta est sicut camini nigredo, Ego Domine mi inuoco te, & gratiam tuam requiro, sed tu ne auerte faciem tuam à me quia iniquus sim, quia peccator sim, respice tu me, & non peccata mea, nam si animaduertes peccata mea, in quibus sepultus sum, non videbis me, tùm quia moles peccatorum meorum obruit me, tùm etiam quia peccata mea nebulæ sunt, Nox sunt, tenebræ sunt, quæ abdiderunt me à facie tua, respice igitur me radijs tuæ misericordiæ, & iustificabis me sole tuæ Iustitiæ, & nebulæ meæ euanescent, nox mea illuminabitur, tenebræ meæ recedent, &

qui sine te tenebrę sum, cõfidẽs misericordiæ tuæ ero in lumine vultus tui, auerte igitur faciem tuã à peccatis meis, ne aduertas ad peccata mea, quia non ea sunt quæ per humanã iustitiam remitti possint, sed sunt adeo, sordibus nequitiarum mearum coinquinata, & facta abominabilia, vt opus sit oleo misericordiæ tuæ ut diluantur, sed aspice tantum humilitatem meam, conuerte faciem tuã ad me misericorditer, & ita delebis omnes iniquitates meas, quas contraxi in vitæ meæ erroribus, nam si respexeris me misericordia tua sanabor ab omni ægritudine mea, Virtus enim exit de te, & sanat omnes, Auerte igitur faciem tuam à peccatis meis, ut de fructu lumborum meorum ponas super sedem tuam, Si venisti uocare peccatores, vt eorũ culpæ, & peccata essent occasio misericordię tuæ, nec peccatores renuisti per quos in carnis ergastulo assumas filium tuum dilectum, cur auertes faciem tua à me? quia sim peccator? deme tu omnes iniquitates meas, qui tollis peccata mundi, & conuerte faciem tuã ad me, respiciẽs me per assumptionem in humanam carnem filij tui, cuius diuinitate non solum delebuntur omnes meæ iniquitates, sed etiam omnia peccata in te credentium, si igitur, ut spero, auertis faciem tuam à pecca-

tis meis delebuntur omnes meæ iniquitates, ut filius tuus quē missurus es de domo mea, non egrediatur ex habitaculo inmundo sed defecato, & purgato.

Cor mundum crea in me Deus, et Spiritum rectum innoua in uisceribus meis.

TV qui creator es omniū, crea in me cor mundū, cor syncerū, cor purū, ut dignus sim uidere te, quandoquidem non nisi hi qui mundo sunt corde vident maiestatem essentiæ tuæ, essentiamq; Maiestatis tuæ, & qui nō vident te, non vident propter inmunditiam cordis eorum, Nam cū tu sis qui resistis diabolo, qui aduersaris peccato quod concipitur in corde, nisi crees in me cor mundum, nam Cor meum est coiniquinatum delictis, non potero, videre faciem tuam, nisi misericordiam tuam effundas super me per dimissionem peccatorum meorum, & cordis mūditiam, & quæ sunt, quæ mundant cor? nempe pharmaca quæ descendunt in corpus per organa Spiritus bonæ uolūtatis, scilicet paupertas ipsius Spiritus, māsuetudo, lachrymæ quæ in charitate non ficta funduntur, desiderium iustificandi se apud te, misericordia erga egenos, pacis, & concordię sacramento

rumq; custodia, patiētia in persecutionibus, & angustijs, & mendacium, variorumq; maledictorum contemptio, crea itaq; his seminibus in me cor dignum tanto creatore, scio enim quod te creante non desciscet amplius à te, quia semen tuum semen æquitatis, at quid dixi crea, non ne creasti in me Cor? an creasti in mundum? absit vt sit in mundum quod mundus creauerit, immo Deus, tu creasti mundum, sed in mūditiæ meæ sunt á peccatis meis, sed quia peccata occidunt animā, & amissa anima corpus dissoluitur, iam sum dessolutus, & mortuus coram te, nec viuit in me nisi mors, peccatum meum, crea igitur tu in me cor mundum, cor obsequens mandatis tuis, & viues tu in me, & ego viuā propter te, & quia non tantùm corpus meum est sordidum immunditia peccatorum, sed etiam & Spiritus, qui est animæ index obliquitate mandatorum, innoua etiam in me Spiritum rectum, rectum dico quia anima quæ immunda est incedit curua, anima mea quæ est immundissima, & grauis propter sarcinam peccatorum curuatur ad terram non potest tollere faciem suam ad cælum ad deū suum, sed cum sequuta fuerit ea quę sunt mūdi, nihil sapit nisi mundum, nisi terram, nisi abiectum, & uile, Tu ergo qui facis mundum

nouum cælum nouum,nubes nouas, montes nouos,arbores nouas,animalia noua,potestates nouas,mare nouum, piſcatores nouos,aues nouas,flumina noua,& deniq; omnia noua,non ne facies nouum in me ſpiritū? omnium bonorū innouator? innoua igitur inuiſceribus meis,in interiori homine meo, non in ipſa tantum ſuperficie mei, Spiritum rectum, nam hic veterator qui nunc habitat in me,non eſt Spiritus meus,quia non eſt à te,cum diſceſſerim à te, & ideo non reſpicit ad te, ſed incuruatus incedit ante conſpectū tuum, non audet tollere faciem ſuam ad te, quia tu creator, ille occiſor, tu ſeruator, ille deſolator,eĳce itaq; à me Spiritum obliquū, incuruum,circumuentorem, & prauaricatorem meum,& innoua, ac reforma in viſceribus meis,in medullis meis, in adytis meis, in penetralibus meis,Spiritum rectum, tuis mandatis obſequentem,mitem,miſericordē, & bonorum operum propagatorem, & nō attēdas quód fugias à peccatis meis,ſed attende quód ego clamo poſt te,vt ſaluus fiam.

" *Ne proicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum*
" *tuum ne auferas à me.*

NE proicias me Domine à facie tua, quia facies tua facies gratiarū, & ſalus tua eſt

procul á peccatoribus, ergo sum ego absq; gratia, absq; salute tua, si sis procul a' me, cæcus sum, illumina me, ægrotus sum, sana me, lux es, medicus es, qui illuminari, & sanari vult, opus est ut ueniat ad te, & eũ qui uenit ad te nõ eicis foras ecce adsũ, clamo, cupio videre te, & adhęrere gratię tuę, an mihi quærẽti panem tuũ, saxum porriges? absit Dñe mi, Ego saxũ, tu panis, tu saxa ad te uocas, ut facias panes, qui ex saxis facis filios Habrâæ, quos pascas pane tuo, nimirũ pane illo tuo uitali, qui est super omnẽ humanam substãtiam, Tu panis viuus, ego petra offensionis, erue igitur à me duritiem petræ, & concede stabilitatem petræ ut non vincar, non nutem à peccatorum procellis, & quem fermentum peccatorum corrupit, azimis tuæ syncerita-tis, & veritatis satura, ac refice, Itaq; ne proicias me à facie tua, ne abicias me à misericordia tua tanquã ad omnia inutilẽ ecclesiæ tuę, & conculcer ab omnibus in potestatẽq; diaboli tradar, Ne itaq; proicias me a' facie tua, a' clementia tua, ab omnipotenti Maiestate tua, me dico, de cuius femore assumpturus est carnem filius tuus, & ne auferas a' me donum Spiritus sancti tui, quod abste mihi per Samuelẽ infusũ est, ergo ne auferas a' me Spiritũ sanctum tuũ, tuam gratiã, inqua Spiritu

prophetiæ donatus ſum, nō auferas Spiritum ſanctum tuū á me, quemadmodū abſtuliſti a' Saule, qui propterea phanaticus correptus eſt a' Spiritu inmūdo, quia & dediſti eū in ꝑditionē proieciſti eū a' facie tua; & abſtuliſti ei tuū Spiritū ſanctum, quo perperā abuſus fuerat, vt te ex deo adiutore, experiretur deū vltorem, quapropter per gradus iniquitatis deſcendens in barathrum nequitiarum præcipitatus eſt á corrupto, & vitiato ſenſu, Ne igitur rogo te auferas a' me Spiritum ſanctū tuum, ne illo exeunte ingrediatur Spiritus Sathanę, & ideo ne ꝓicias me à facie tua, quia tū proiceres me a' facie tua cū auferres a' me Spiritū ſanctum tuum, & tū auferres a me ſpiritū ſanctū tuū, cū proiceres me a facie tua, ne auerte gitur faciē tuam a me, ſed illā auerte a peccatis meis, nā non ſumus vnū ego, & peccata mea, ſed ego a te, peccata autē mea a me, ꝗa ego deſciui a te, Ne itaq; proicias me a facie tua, & non auertas a me faciē tuā, et rediero ad te, & cor meum factum mundum eiciet peccata mea, Age obſecro Domine mi aſperges me Hyſopo tuæ regenerationis, munda me, & dealba nigredinem animæ meæ ſolare me, conſolare triſtitiam meam, ne aſpicias peccata mea, dele omnes iniquitates meas, crea in me cor mundum, innoua ſpiritum re-

ctum, ne proicias me a facie tua, a misericordia tua, humilitatem meam, nec auferas a me quem iam dedisti Spiritum Sanctum tuum, hæc nunc peto quia confido tuæ clementiæ, supplico tibi, quia Deus es, misericordiam tuam imploro, quia misericordia es, Est etiã quod petam, nam non sufficiunt ea omnia quę petij, nec possum cõtineri quin supplicẽ tibi, tum quia valde pauper sum, & egenus, & indigeo multiplici tuæ misericordiæ beneficio, tum etiam quia tu misericors, & omnipotens es, omnia sunt a te, & per te, & tibi subdita, & tamen nihil tuum est, ex his omnibus quę sunt, quia nullius rei indigus es, cum sis typus ipsius perfectiõis, omnia nobis fecisti bona, omnia nobis dedisti, & nobis non solum factus es liberalis, sed prodigus, cum etiam ad maiorem liberalitatem tuam ostentandam temetipsum dedisti nobis, nempe nocentibus innocentem, peccatoribus iustum, dedisti dico in spiritu, quod in carne daturus es, deus ergo liberalis es, Deus inquam omnium quę sunt, & Dominus, Non'ne ego abuterer tua liberalitate, si pauca a te peterem cum multis indigeam, cum tu itidem maxima pollicearis? non'ne viderer irridere tuam potentiam, ac de ea subdubitare, si res parui momenti efflagitarem ab eo, qui mirabilia fa

cit solus? qui de stercore erigit pauperem, & potentes deponit de sede, qui cum a peccatis nostris offenditur, indulgendo, & nobis gratiam suam offerendo, placatur, qui solummodo contumacibus, & peruicacibus resistit, & eos a se abijcit.

» *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu prin-*
» *cipali confirma me.*

TVa Domine mi liberalitas, tua misericordia, tua clementia facit me intrepidum, vt petam, quia tu liberalissimus es dãdo, scio enim quod dicis pete a me, & dabo tibi, scio quod maximè delectaris in congessione gratiæ tuæ, quia qui te interpellant agnoscunt in Deum, non sunt a Deo petẽda, nisi ea quæ mundus non potest, pax scilicet, & non solum pax corporea, sed etiam illa pax tua spiritalis, quę fundata est in lætitia salutaris tui, filij tui, Hactenus Domine mi hesitabam, in tenebris loquebar, quia in peccatis eram, cũ non confiterer peccata mea. Nunc quãdo per confessionẽ Nathæ factã, video a te creatum in me cor mundum, & spiritum rectum innouatum in visceribus meis, video me renouatum non solum in carnis mundatione, verumetiam in Spiritus contributione inci-

piam cõfidentius liberius, ac clarius loqui de mysterio incarnationis filij tui, & ita loquar, vt non discedam a supplicationum mearum incepto, & ab imploratione misericordiæ tuæ, Redde itaque mihi Domine mi lætitiam salutaris tui, restitue mihi eam, quam promisisti lætitiam aduentus filij tui, qui salus erit credentium in se, lætitiam dico, quia in eo lætabitur vniuersa caro, quæ contribulata per peccatum, in eo lætabitur per gratiam. Tu pollicitus es mihi hanc prærogatiuam, quod sis assumpturus filium tuum de vtero meo, nempe de vtero Virginis de linea prosapiæ meę descendentis, Nam quomodo, possis ex vtero meo educere salutare tuum? pollicitus es, & per peccatum meum deleta est promissio tua, deletum donum meum, at non deleta est misericordia tua, Tu igitur qui es pax, & habitas in pace, propter iniquitatem meam geres aliquam simultatem cum genere humano? Pollicitus es mihi salutare tuum, iam igitur cõcessum est, iam decretum, quia tu facis dicendo, & dicis faciendo, quomodo ergo ea quæ per te facta sunt, facies ne facta sint? plus valebit apud te vnius homunculi, imo vnius vermis, qui in iniquitatibus, & in peccatis conceptus est, transgresio, quam inmẽsum pelagus misericordiæ tuæ? Redde itaque

mihi lætitiã ſalutaris tui,ne auferas de domo mea, de familia mea donum hoc pręcipuum tuæ generationis,quæ mihi a Spiritu Sancto tuo reuelata, numerata, & enarrata eſt, quis enim alius enarrabit eam? nemo ſane' præter te,qui verbum tuum ad hoc miſſurus es, ſa- lutare tuum, de quo iam dixi expectare me, & alias quod viderint omnes termini ter- ræ ſalutare Dei, Nempe tu promittendo no- tum feciſti ſalutare tuum,& in cõſpectu gen- tium reuelaſti iuſtitiam tuam,dixi te feciſſe, dixi reuelaſſe, quia videbam in enigmate nõ ſeu enigma, ſed explicatam veritatem, nam verba tua facta ſunt, Redde ergo mihi hoc ſa- lutare tuum, quod mihi reuelando cõcesſiſti ne auferres a me, a domo mea,a familia mea Spiritum ſanctum tuum,da mihi vt vera di- xerim,de ſalutari tuo, nam ea quæ dixi Spi- ritu ſancto tuo dictante dixi,qui nõ eſt men- dax,nec otioſus,aut vanus,Et Spiritu princi pali confirma me,confirma ergo me vt vera dixerim ſpiritu principali, ſpiritu tuo, nam tu cum filio,& Spiritu ſancto tuo, vnum es, & vnus deus, tamen principalis ſpiritus eſt tuus,non quod imperet filio deo,verũ quod primus,& princeps es in myſterio inexplica bilis Trinitatis,Pater enim es a te tantũ, cum filius tuus ſit a te,a ſubſtantia tua,& Spiritus

ſanctus a te, et filio tuo procedat, es itaq; in te ſpiritus principalis, confirma igitur me tuo ſpiritu principali, ne labar iterum in foueam iniquitatis, confirma me tu nunc tuo ſpiritu principali, nam a filio tuo videor gratiam impetraſſe, ſed quia tu es pater, & filius, et ſpiritus ſanctus a te ſunt, Niſi tu confirmaueris me in gratia tua, ſpiritu tuo principe omniũ, nihil ſum, non quod eadẽ voluntas, quæ eſt in filio, non ſit in te, & in Spiritu ſancto, ſed quia enormitas peccati non indiget leui indulgentia, confirma ita ſpiritum meum, ſeruum in peccatis ſpiritu tuo principe in miſericordia, & quoniam ſpiritus tuus eſt a quo docemur omnia, cum nunc nihil ſapiam niſi cænum, niſi ſordes, quas docuit me ſpiritus Sathanæ, tũc adhærens miſericordiæ tuę per ſpiritum rectum tuum, & illuſtratus ab eo, ac confirmatus, a tanto principe.

„ *Docebo iniquos uias tuas, et impij ad te cõuertẽtur*

MVnus quippe tui Spiritus ſancti eſt dirigere, luſtrare, & confirmare, munus vero eorum qui a Spiritu ſancto tuo ſunt directi, luſtrati, & cõfirmati, eſt charitatem in omnibus exercere, Ego itaq; cum hoc triplici pharmaco, ſanus ab ægritudinibus meis, di-

rectus

rectus in fide tua, lustratus in spe, confirmatus in charitate, nihil præterea sperabo nisi ea quæ a te sunt, Docebo itaq; iniquos vias tuas, misericordiam tuam, iustitiam tuam docendi sunt iniqui, scilicet, et impij, iniqui sunt qui diuinę legis æquitate postposita contra te erigunt cornua, qui alienis inhiant, qui animas suas deo debitas diabolo addicunt, Impij, qui respuunt ea, quæ tua sunt, & ea quæ terræ sunt desiderio amplectuntur, Impij qui quotidie Christum tuum in se uiuentem blasphemijs, & scelerosis facinoribus occidunt, lacerant, cruci affigunt, Impij qui dicunt in corde suo non est Deus, qui voluptatibus carnalibus illaqueati quę sunt Dei abiciunt, tales igitur acta penitētia docebuntur a me, quid docebuntur? vias tuas, ergo non erunt amplius iniqui, si erūt in vijs tuis, nam iniqui sunt, qui longe sunt a viis tuis, a Christo tuo, a veritate tua, docebo itaq; iniquos vias tuas, quę sunt viæ tuæ Domine? non'ne veritas? ergo veritatem docendi sunt iniqui, veritas non'ne est. verbum sanctum tuum? ergo iniqui ignorāt Christum tuum, si ignorant per quem sunt, ergo sunt impij, qui a te facti sunt, & te non agnoscunt in Deum, impij sunt, cum tu sis pietas, qui pietatem tuam abijciunt impij sunt, O igitur infelicem illum

qui te ignorat, qui est iniquus, & non vult doceri Veritatem tuam, factus est impius ex creatura Dei sui creatoris, factus est hostis redemptoris, factus est resistens deo suo, vitæ suę, factus est petra offendiculi in quam impingant peccatores, Quomodo ergo peccator docebitur vias tuas, si iniquus est? quomodo conuertetur si impius? quomodo pænitentiam aget, si iniquitas eius facta est impietas, si impietas coniuncta, & aggregata est iniquitati? Audiat igitur veritatẽ, teneat vias Domini, Omne verbum, inquit veritas, in Spiritum sanctum non remittetur, neq; in hoc, neq; in alio sæculo, ergo iniquitatem, & impietatem sectari est, verbum dicere in Spiritum sanctum, quid aliud est, quam obstinatum esse? & spiritu diabolico veritati resistere? & penitentiæ sacramẽtum abicere, & sibi diffidere? si ergo Spiritus sanctus est in quo fit remissio peccatorũ, si ipse est fons veniæ, quomodo inimico Spiritus sancti remittentur peccata? quomodo non sitiens pęnitentiam, bibat in fontè veniæ? veh igitur ijs, qui iniquitatis & impietatis visco retenti, ab ecclesia Dei exierunt, qui mẽbra putrida facti sunt, qui Oues fugitiuæ, & hædi diaboli præda, lupis deuorandi oblati sunt, Agant igitur pænitentiam miseri, cõfidant misericor-

diæ tuæ facinorosi,& licet peccauerint,remit tentur eis peccata sua, petãt a te gratiã tuam, & dabitur eis,quęrant misericordiam tuam, & inuenient eam,pulsent postes hostij tui,et aperietur eis, Ecce igit Domine mi ego egenus peccator peto gratiam tuã, infensus tibi quæro te,exul a' regno tuo, pulso fores misericordiæ tuæ, Audi me Domine vt exaudias,aperi mihi viscera misericordiæ tuæ,atque vt postmodũ sim ciuis, regni tui cõcede.

" *Libera me de sanguinibus Deus,Deus salutis meæ,*
" *& exultabit lingua mea,Iustitiam tuam.*

SCis Domine quia in iniquitatibus conceptus sum,& i peccatis edidit me mater mea, quid ego sim a matre mea,a peccato ipso,nisi peccatum? & peccatũ quid edere possit nisi peccatum? peccatum igitur sum a peccato,at intercessit misericordia tua, & ex peccato fecit me iustificatum in tua tamen iustificatione,non in mea quæ nulla est,At quoniam septies in die cadit etiam iustus, cõfirma tu me ne cadam, & quoniam caro concupiscit aduersus spiritum, & sanguis aduersus animã, & caro,et sanguis sunt fomites peccati,nã ex carne sanguis, ex sanguine vero cupiditates, libidines, iræ, inuidiæ, auaritiæ, & id genus

ſexcenta alia portẽta emanant,quę ſpiritum, & animam meam obruunt,libera me de ſanguinibus, de his peccatis, in quæ quodammodo diſpoſitione, & inſtinctu naturæ cogor impingere.Nam hæ ſunt catenæ,hę compedes,quæ ſpiritum vinciunt animam detinent, libera igitur me de his catenis, quibus aſtrictus trahor in profundum malorum,ſanguis enim ſanguines generat,& peccatũ peccata,quinimmo ĩ vno peccato infinita latẽt, & comprehenduntur peccata,veluti ex vno ſanguine infinitæ deriuant hominum ægritudines,Nam ſanguis eſt ſpiritus Vitæ, ſi ſanguis corruptus ſit tentationibus carnis, vita itidem peſſimo ſpiritu agitata nõ erit in ſanguine,ſed in ſanguinibus, vita ſi quidem hic agentium militia eſt,quid in militia verſatur niſi ſanguis? at non omnis ſanguis eſt in ſanguinibus veluti non omnis militia eſt in ſanguine,qui pro te,ac ideo in te moriuntur ſanguinem fundentes, ĳs ſanguis vere eſt ſpiritus vitę,nam fundunt ſanguinem ad Vitam, qui vero bonorum vitam propter propriæ mentis peſſimum habitum ſanguine effuſo deſtruunt, ĳ quippe in ſanguinibus verſantur, cum itaqꝫ ego in his ſanguinibus, quaſi cruentus carnifex,inuoluar,tedet me,pęnitet me militię meę,quapropter transfugio a ſan-

guinibus ad ſanguinem, a peccatis ad miſericordiam, video enim ꝙ propter magnam miſericordiā tuam miſſurus es filium tuum, qui ſanguine ſuo lauet peccata mundi, libera igitur me propter eandem magnam miſericordiam tuam, a peccatis meis, ſanguine Filij tui, quæ quidem peccata ſunt a ſanguinibus, & in ſanguinibus contracta propter ſanguinis interioris in ſanguinem exteriorem contractā labem, libera tu me Deus Pater, in quo non eſt ſanguis, me dico, qui totus ſum ſanguis, at in ſanguinibus, & ī uoluptate carnis, & in mundi iniquitatibus conceptus ſum, libera etiam deus ſalutis meæ, Deus filius, qui me ſanguinum, ſanguine tuo ſaluaturus es, libera inquā me ab his ſanguinibus, ad quos delendos, & abſtergendos venturus es, & exaltabit lingua mea iuſtitiam tuam, & lingua mea, quæ actenus agitata eſt a ſanguine nunc directa a ſpiritu exaltabit ad cælum tollet, ſi quidem bona opera ad cęlum corā maieſtate tua perferuntur, non profecto exaltabit iniquitatem meam, ſed iuſtitiam tuā, quid nam aliud eſt iuſtitia tua erga peccatores, niſi miſericordia? vteris enim miſericordia loco iuſtitiæ, cum ſcilicet pęnitētes iudicas, vteris iuſtitia, & iudicio erga impios, & contumaces, Exaltabo ergo iuſtitiam tuam, quid aliud

prædicare possit misericordiam cõsequutus, quam misericordiam tuam? quid iustificatus a te quàm iustitiam tuam? o felicem qui per alteram tendit ad alteram, qui ex cæco illuminatur, ex seruo liberatr, ex coinquinato mundatur, ex aduena, & fugitiuo, accipitur ĩ partem regni cœlestis. Da tu igitur mihi Domine Deus pater futuri sęculi, & tu Deus fili hæres pacis, & dator salutis, da mihi vt per linguam meam exaltetur iustitia tua.

Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.

VT igitur extollatur per me iustitia tua, aperi tu Domine labia mea, os meum, cor meum, qui aperisti os Asinę Balaam, qui aperuisti ianuas cæli, qui aperuisti scripturas, eas adimplendo, aperi tu inquam labia mea, quo aperiente non est qui claudat, peccatũ meum clausit mihi labia mea, vnde ad pronunciandas laudes tuas mutus factus sum, qm̃ qui in peccatis sepultus est, non est aptus vt laudet te, quia labia eius clausit diabolus, qui habitat in corde eius, Ecce iam per gratiam misericordiæ tuæ aperti sunt oculi mei; & iam intuentur lumen tuum, aperi tu igitur labia mea, ut de te loqui posiint, si enim ego ape-

ruero labia mea, non potero eloqui, nisi ea quæ mea sunt, peccata scilicet mea, & iniquitates meas, si igitur labia mea, cum sint labia peccatoris, sunt clausa ad pronunciandas laudes tuas, & propter iniquos sermones, & impia mandata facta sunt immunda, nisi tu aperias ea, licet cor sit apertũ, labia ipsa quæ sunt carnea, & sedes sanguinis non poterunt annuntiare ea quæ tua sunt, aperi itaq; ea, & os meum pręco cogitationum mearum, annuntiabit laudem tuam, cum sim creatura tua, & ad te conuertar, tamen laudabo te, mõstrabo enim in me opera tua esse bona, quemadmodum artificem laudamus in excellentia artificij sui, Ecquis unquã poterit annuntiare laudem tuam, nisi qui in te sunt sancti tui? Angeli tui? beati tui? quibus ipsis labra in bonis operibus aperuisti. At ego putabam ad propitiandum te, & placandum Maiestatẽ tuam propter peccata mea, opus esse sacrificio, & holocaustis, quẽadmodum in lege scriptum est, at uideo aliam legem nouam, multo salubriorem, multo saniorem, ac deniq; multo conducibiliorem lege illa ueteri absint igitur propitiatoria sacrificia, absint holocausta.

» *Quoniam si uoluißes sacrificium dedissem utiq;*
» *holocaustis non delectaberis.*

QVoniam tibi nō ſunt grata holocauſta, neq; ſacrificia, quippe' qui daturus es in extremum ſacrificium, & holocauſtum filiū tuum, qui uerisſimum erit holocauſtum, gratioſum, ſalutare, & oblatum non ad ſoluenda peccata ſua, quorum expers erit, ſed peccata noſtra, ideo non oblatum in miſericordia tātū ſed etiā in charitate, Hoc igitur holocauſto claudes legem holocauſtorum, quoniam nihil gratius, nihil acceptius poterit tibi offerri quā holocauſtum filij tui, quod tibi oblaturæ ſunt Gentes ad te conuerſæ, oblaturę dico non in ſanguine hircorum, & Vitulorum, ſed in Azymis ſynceritatis, & Veritatis, Non in calice teſtamenti Moſaici ſed in calice benedictionis filij tui, non igitur delectaberis holocauſtis, in quibus abſumitur flammis aliena caro, ſed delectaberis holocauſtis, in quibus offert̃ proprius ſpiritus, afflictus, & à malis operationibus impetitus, & pulſatus, non tamen ſuperatus, & Cor contritum, pænitentiæ malleo eneruatum, & humiliatum, & humilitatis Spiritu compunctum, Ergo libera me à peccatis meis, & non ſuccenſeas mihi quòd propter peccata mea tibi non offero ſacrificium, & holocauſta, ſcio enim quàm non delecteris huiuſmodi ſacrificio, & holocauſtis, in quibus ſanguis

Taurorum,& Hircorum,& Vitulorum fun
ditur,sed delecteris eo sacrificio, in quo,loco
sanguinis,funduntur lachrymę, in quo loco
materialis carnis,offertur Spiritus tristis, &
cor contritum,in sacrificijs enim legitimis,et
holocaustis continetur extrinseca legis cere-
monialis obseruatio, non intrinseca gratiæ
adhibitio, non animæ illustratio,sed corpo-
reæ,& carnalis felicitatis procuratio, in qua
non placaris,quia non delectaberis ea, quia
non acceptabis sacrificia,et holocausta,Nam
sanguis Hircorum,& Taurorum,& cinis Iu-
uencę conspersus, in legibus, coinquinatam
carnem mundare creditur,Ego nō peto mū-
dari in me quæ mihi demortua sunt extrin-
seca,sed quæ viuunt tibi in æternum intrin-
seca,quę non mundantur sanguine Hircorū,
aut Taurorum, sed in baptismate, & pæni-
tentia,laua igitur me, & dealbabor super ni-
uem,sed Baptisma meum,& pænitentia mea
in lachrymis meis est,sed in afflictione cordis
mei,& Spiritus mei.

" *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, Cor con-*
" *tritum,& humiliatum deus non despicies.*

QVoniam sacrificium uerū quod placat
deum filium tuum, quod placitum est

deo filio tuo qui tecum in Spiritu, & Veri-
tate adoratur, & qui, non est nisi in Spiritu?
nam quid offerendum Spiritui nisi Spiritus?
quid offerendũ mundo corporeo, & carneo,
nisi caro, et sanguis? offero itaq; Deo filio tuo
sacrificium suum, quod est Spiritus ęrumno-
sus, anima gemens pro peccatis commissis,
nõ caro hilaris, pro bonis temporalibus ac-
quisitis, Spiritus ærumnosus, anima tristis,
propter molem mali quæ incedit curua, &
infirma, & oculi deficientes in lachrymis, &
Spiritus esuriens iustitiam dat gloriam, & sa-
crificium tibi Domine, Nam spiritus lætitiæ
ligat, Spiritus afflictionis soluit, ille ædificat
ad Gehennam, hic ad Vitam, addo etiam spi
ritui qui est principium animæ in sacrificiũ
tibi principiũ ipsius corporis, quod est Cor,
sed non Cor exhilaratum uanis cogitationi-
bus sed Cor contritum pænitentiæ lima, &
humiliatum humilitaté Spiritali, non humi-
litate temporali, Ecce tibi qui es principium
omnium bonorum, offero principia eorum
bonorum, quæ in me esse uoluisti, offero ego
quidem ea tibi non in Spiritu superbiæ, &
contumaciæ, sed in Spiritu contritionis, &
humilitatis. Video enim quód hæc apud te
sit vera adoratio, qua tu veré placaris, quæ
non sunt ad vanam ostentationem, et ad põ-

pam mundi,ſed quæ per pænitentiã intrinſecam,ſalutem acquirunt extrinſecam . Non igitur deſpicies, neq; contemnes ſacrificium meum,quemadmodum deſpexiſti ſacrificiũ Chaim,ſed acceptabis quemadmodum acceptaſti holocauſtum Abel,& ſacrificiũ Melchiſedech,alter enim in ſanguinibus obtulit holocauſtum,alij vero in corde contrito,& ſpiritu humili,ſpreuiſti itaq; ſacrificiũ Chaim, quod in ſanguinibus oblatum erat, & acceptaſti holocauſtum Abel,quod in Spiritu,et Veritate oblatum fuit,nam tantò tibi eſt acceptius ſacrificium Spiritus, quàm ſacrificiũ carnis, quantò nobilior eſt Spiritus quàm caro,anima quàm corpus, Vita quàm Mors, gratia quàm peccatũ,Dominus quã ſeruus, tu Deus, quã ego homo, ne igitˀ,rogo, deſpicias ſacrificium quod tibi offero mentis quidem,& Spiritus,ne deſpicias, qui propterea oblaturus es filium pro me in Ara Crucis ſacrificium laudis tuæ , Gloriæ tuæ , Charitatis tuæ.

" *Benignè fac Domine in bona uoluntate tua Syon*
" *ut ædificentur muri Hieruſalem.*

VBi Domine oblaturus es filium tuum in ſacrificium propitiabile,niſi in Syon ? ſi

igitur in Syon, a Syon ergo salus nostra, si a Syon salus nostra, benigne igitur fac Domine ipsi Syon, sis benignus ipsi Syon quę speculatrix est animarum nostrarum, nam nisi sis benignus, & propitius speculatoribus tuis, non ædificabuntur muri Hierusalem Hierusalem est visio pacis, speculatores tui, ædificãt tibi Hierusalem in visione pacis, in uisione tua, tu enim pax es, qui pacem tuam das diligentibus te, non inquam eam pacem quã mundus dat, quæ est insidiosa, & vana, sed eã pacem quam tu potes dare solus, quæ certa est, & in charitate tua ædificata, nam si recte omnia consideremus, nunquã hodie pax tua inuenietur, si homines interrogemus an pacem intra se habeant audiemus habere intra se legem carnis repugnãtem legi spiritus eorum, si Naturæ cætera animalia consulemus nihil tutum esse ab alio dicent, nam in se ipsa naturali quadam inimicitia inferuntur, quinimmo in regione ipsa aeris quæ vt vacua esse videtur omnibus corporibus, ita etiam uacuam dixerimus omnibus perturbationibus terrenis, Tamen videmus Ventos inter se violenter confligere at si altius repetere velimus, quã nusquam ubi tu in medio nõ sis, inueniat pax tua, quid enim in terris, & caducis inmoramur? Angelus tuus lucis cum esset in

regno tuo, in pace tua excellentis auctoritatis, non ne tentauit ponere ſedem ſuam ad Aquilonem, & eſſe ſimilis tibi? Inde bellum inter Angelos tuos exortum eſt, Ab Aquilone igitur, ab Aquilone patefactum eſt omne malum, ó impium, & execrabilem Aquilonem, qui hanc Syon ciuitatem ſcilicet pacis, ciuitatẽ exterminij facturus es, q muros fundatos in Fide, munitos in Spe, cuſtoditos in Charitate immani deſtrues impietate, ó teterrimam furiam quæ nobis hãc peperit calamitatem, ó immaniſſimam peſtem, quæ nobis contagijs ſuis vniuerſum orbem contaminauit, Quod niſi pax tua quæ vera eſt pax affulſerit nobis, actum erit, & funditus actum erit de hac tua Syon, Tu ergo, qui pax es, ſis benignus ſpeculatoribus pacis tuæ, ſis dico benignus in bona voluntate tua, in filio tuo, qui eſt volũtas tua bona, quia omne bonũ à te eſt, igitur ſis benignus ipſi Syon, quæ eſt ſpecula luminis tui, Nam non aliter ædificabuntur muri Hieruſalem, quos Cocus Nabuchdonoſor euertit, quos gula, & corporeę voluptates diruunt, Muros itaq; quos caro deſtruit, Spiritus ædificet, Muri dico Hieruſalem tuæ pacis, qui ſolus es pax hominibus bonæ volũtatis, ergo tu, qui es bona uoluntas, & es pax hominibus amantibus bo-

nã volũtatem ſis benignus hac tua bona uo-
luntate ſanctis tuis ſpeculatoribus Syon, qui
non diſcedunt a' Syon a' ſpeculatione, a' con-
templatione, ab ædificatione Eccleſiæ tuæ, ſis
beneuolus, ſis benignus, non ut Syon germi
net Cedris, & luxuriet hortorum amænitati
bus, ſed ut ædificentur muri Hyeruſalẽ, Ecce
Domine Spiritus factus ſum, & ad ſpiritum
loquor, Ecce muri Hieruſalem iam ſunt ædi-
ficati, & nõ eſt opus eis ædificatione, ſed trã-
sferetur hæc Hieruſalem, quia non eſt ciuitas
pacis, & alio reædificabitur in benignitate, &
bona voluntate tua, quæ erit alumna pacis
Eccleſia tua ex lapidibus reprobatis, ex gen-
tibus, & non ex Sinagoga, erecta, & ædifica-
ta, & hij lapides licet a' Sinagoga eſſent re-
probati, tantum in benignitate, & bona vo-
luntate tua coheſerunt qui ſunt congregatio
fidelium in te ſperantium, ij profecto ſunt ci-
uitas tua, quia pax tua, muri tui, quia in bona
voluntate tua, qui ædificabuntur non in ce-
mẽto materię, ſed in ſanguine Martyrij in la-
chrymis pænitentę corporeæ, & in vocibus
cõfesſionis uocalis, Hi ſunt muri triplici am-
bitu circundati, Fide ſcilicet Spe, & Charita-
te, Hæc eſt ciuitas, quę a' te cuſtoditur, præter
quem fruſtra vigilat qui cuſtodit eam, hæc
eſt ſponſa tua Eccleſia tua, nigra in perſecu-

tionibus tyrannorum,& formosa in Veritate tua, Nigra in martyrio sanctorum, & formosa in retributione gratiarum, nigra in dolore passionis, & formosa in gaudio resurrectionis Filij tui, Ecquis obsecro poterit ędificare muros tãtæ Hierusalem? quæ nõ est terrena, non ex lapidibus constructa, sed descẽdens de cælo in Spiritu, spiritali est conflata cemẽto, Nemo poterit ædificare hos muros, quos Adam peccati malleis euertit, nisi tuus nouus Adam gratię indulgẽtia ædificet, Primus enim Adam peccato suo posuit simultates, accendit bellum inter humanam, & diuinam Naturam, Natura diuina vicit humanã, expugnauit suam ciuitatem, suam Hierusalem, quæ erat ciuitas pacis, expugnauit eam ciuitatem, quæ est in corpore humano spiritalem animam, interfecit Adam opus diuinum, euertit muros eius, qua propter ut muri, & ciuitas reædificẽtur opus erit ut mittatatur nouus Adã, nouus sequester pacis, qui sapiat vtrãq; naturam, ecquis erit hic nouus Adam, nisi tuus filius? Nimirum tu Domine hoc modo solus poteris ædificare, et firmare hanc ciuitatã humanam hos muros, Humanę Hierusalem, tu inquam qui solus ędificas, & nemo destruit, solus destruis, & nemo ędificat, nẽpe ędificas in benignitate, & bona vo-

luntate tua, destruis in afflictione, et flagellis, Hinc gaudiũ, & lętitia, illinc fletus, & stridor dentium, conserua itaq; benigne. Domine in bona voluntate tua sponsam sanctam Syon tuam, speculatores Nuntios tuos, & sanctos tuos, qui speculationibus assiduis ędificant eam, & hoc vt ędificentur muri Hierusalem, vt ex Synagoga superstitionis fiat Ecclesia orationis, ex congregatione offensionis, fiat Ecclesia Veritatis, ex coadunatione reproborum fiat Ecclesia electorum.

» *Tunc acceptabis sacrificiũ iustitiæ, oblationes, &*
» *holocausta, tunc imponẽt super altare tuũ uitulos.*

Tunc ergo quando muri Hierusalem triplici ambitu ędificati erunt, vt non amplius corruant, scilicet qui a te ędificabuntur? nam nisi tu ædificaueris, frustra laborauerint, qui conabuntur ædificare eos, Tunc itaq; ædificatis muris habitaculi tui, ecclesiæ tuæ, acceptabis sacrificium iustitiæ, sacrificium fidei, & operum eius, in quibus omnes iustificamur, nam nunc offerimus tibi sacrificium vt pro peccatis nostris placemus te, & ideo ꝓpitiatorium est, quia non est in Hierusalem, quia nõ offertur in domo tua, in Ecclesia tua, post autẽ ędificatos muros Hierusalem in qua oportet laudare

dare te in sȩcula sæculorum, Tunc acceptabis
sacrificium iustitiæ, laudis non oblatæ ad ex-
piationē peccatorum, sed vt in eis laudetur
nomen tuum, potētia tua, opera tua, est enim
sacrificium iustitiȩ iustas tibi laudes, non san
guinem Hircorum, aut Taurorū offerre, quæ
enim iustitia est, tibi viuenti mortuos sacrifi-
care? Iustitia tua nunquā morit̃, nunquā mu-
tatur, nunquam vanescit, sanguis corrumpi-
tur, caro putrescit, anima Hircorum, & Tau-
rorum vanescit, sacrificiū igitur quod tu ac-
ceptabis erit sacrificium Iustitiæ interioris, et
exterioris, quæ ab intrinseco homine exten-
detur in extrinsecas tui laudes, & ꝓximi cu-
rationem, oblationes extrinsecas bonorum
exemplorum, consuetudinis probatæ, bonæ
mentis, rectȩ conscientiæ, & spiritus integri
fructus, Nec tantum acceptabis sacrificium
iustitiȩ, & oblationes, verum etiam, & holo-
causta intrinsecȩ charitatis, faces, & flammas
totum hominem in te absumentes, absumen
tes dico carnem, & pascentes, innouantesq̧
spiritum, nec tantum pascentes, & innouan-
tes, verum etiam gloriosum reddentes, Ac-
ceptatis itaq; abs te sacrificio iustitiȩ, oblatio
nibus, & holocaustis, imponentur super al-
tare tuum vituli. Altare tuum Domine fides
est, iustus ex fide viuit, quia in fide fundatus

est, iustitia igitur tua est altare tuum, in qua
ædificant, qui in te credunt. Qui igit credunt
in te iustificati in iustitia tua, imponent super
altare tuum vitulos, non vitulos eos, quos
Hoseæ. Gula absumit, sed vitulos labiorum preces,
xiiij.A. & oblationes in spiritu humilitatis tibi obla
tas, Nam veluti vitulus in deserto causa fuit
vt Israel lapsus fuerit, ita vituli hi causa erũt
vt anima quę in peccatis mortua erat, in mi-
sericordia tua renascatur, Hoc itaq; erit veré
sacrificium iustitiæ in quo mortui reuiuiscũt
non in quo viui inmoriuntur. Da igitur be-
nignissime Deus vt hęæ lachrymę quas co-
ram Maiestate tua in spiritu humilitatis effu-
di sint mihi sacrificium ad iustitiam, & hoc
non quia lachrymæ meæ valeant iustificare
me in conspectu tuo, quia ego seruus inutilis
sum, sed propter magnã misericordiam tuã,
laua obsecro te, & exterge his meis lachry-
mis iniquitatẽ meam, ita ut à meorum pecca-
torum sordibus munder, propterea enim co
ram te stratus humi iaceo, quoniam quãtum
deliquerim uideo, & cognosco q; ideo pecca
tum meum torquet me, quoniam peccaui in
te, coram te, iustifica obsecro, me, tua magna
misericordia, & non animaduertas delictorũ
meorum deformitatem, uerumenimuero
ostende q; in iniquitatibus, & in seminario

peccatorũ ſatus ſum, conceptus ſum, ſi ergo aſpicies me oculis miſericordiæ tuæ mundabor profecto', & non ſolum mundabor ab iniquitatibus, & ſordibus meis, uerumetiam fiam multo purior, & candidior, quã ſit nix, auerte tantum faciem tuam a meis iniquitatibus, & fiet ut miſericordia tua deleantur omnia flagitia mea, Quo'd ſi proiceres me abſte, & ab oculis tuis, Spiritus ſanctus tuus qui in charitate habitabat ĩ me, relinquet me contaminatum, ac per hoc reum Gehennæ in flagitijs meis, ſed quam uereor, ne hęæ lachrymæ, hęæ preces; & obſecrationes meæ ſint tibi acceptæ, Aperi igitur tu os meum, labia mea, cor meum, ut ſciam quo'd audis annunciantem laudem tuam, tunc lachrymæ meæ erunt mihi ſacrificium Spiritus afflicti, in pænitentia, & triſtis in humilitate. Tunc labia mea ſacrificabũt tibi uitulos, fundent tibi preces, nam aperies ea tu, ut de te loquantur, & laudent nomen tuum qui uiuis, & regnas ſine fine.

IANI VITALIS PANORMITANI EPITHALAMIVM IESV Christi, & Ecclesiæ, ex Psalmo Eructauit Cor meum Verbum bonum.



Corde prodijt mihi
Ecce optimum præsagium,
Regi fatebor sæculi
Occulta quæq; pectoris,
Non assequentur dexteræ
Velociter scribentium
Linguæ uolantis impetum,
Io io Hierusalem.
En sponsus admirabilis
Super Syonis filios
Iuuenculus pulcherrimus,
Ab ore cuius gratia
Diffunditur dulcissima,
Rex unde regum maximus
Afflauit illi gloriam
Aeternitatis hospitam,
Io io Hierusalem.
Accingere ò potentior
Femur machera regium,
In quo renidet gloria,
Et splendor ornatissimus,
Formosus unde diceris
Regnator orbis progredi,

Io io Hierusalem.
Tu Veritatem porrigis
Nobisq́; pacatissimus
Aequum ministras, mitigans
Nostros feroces spiritus,
Io io Hierusalem.
Eia potenti dextera
Mirabilis superbiam
Contunde crudelissimi
Hostis, sagittæ, maximi
Victoris omnis prælij
Figant acutæ pectora
Rebellium ferocia,
Io io Hierusalem.
Sedes tua, omni tempore,
Sceptrumq́; uerè regium,
Quo diriguntur sidera,
Stabit uigens æternius,
Io io Hierusalem.
Quòd æquitatem amaueris,
Et oderis malitiam,
Oliuo es unctus gaudij.
Præ regibus consortibus,
Io io Hierusalem.
Quæ Myrrha, myrrhæ & lachrymæ,
Qui flos recentis Cassiæ,
Odore fragrantissimo,

Spirat tuis e uestibus?
Quæ te domus eburneæ,
Inter pudicas uirgines
Honore summo, detinent
Marite: dum uirguncula
Aduentat uxor, blandulis
Spirans ocellis gratiam,
Io io Hierusalem.
Regina sponsa regias
Incedit ante Virgines,
Mater futura gentium,
Cui palla lacte purior
Ambitur auri bracteis,
Et plurimis coloribus
Illusa uernat, illa se
Ad dexteram uiri locat,
Io io Hierusalem.
Audi uenusta filia
Præcepta sponsi suauia,
Quid ille post hæc fecerit
Tibi, libenter aspice,
Et rusticam superbiam
Omitte pacatissima,
Sis immemor tot Vrbium,
Et Gentium, quas liqueris,
Domusq; patris nobilis,
Io io Hierusalem.
Formam cupiuit Rex tuam,

Rex ille Regum maximus,
Deusq; princeps cælitum,
Cui seruit orbis machina,
Pulchræ Tyri cui filiæ
Ferent decora munera,
Miratæ opes, quas intus, &
Extrà beata possides
Sponsi, patrisq; filia,
Et Vxor ornatissima,
Aeternitatis arbitri,
Io io Hierusalem.
Nec te colit plebecula
Tantùm, sed orbis nobiles,
Mens est quibus sublimior,
Quam sint superna sidera,
Io io Hierusalem.
Si forte quæris gloriam
O Virgo formosissima,
Regis subibunt filiæ,
Et Virgines lectissimæ,
Omnes pudici spiritus,
Intraq;, & extrà candidæ,
Aureisq; comptæ fimbrijs,
Quas ambiunt Thopatij,
Quas uniones Indici,
Opesq; rubri littoris,
Ducentur illæ nubiles
Post te, canentes molliter,

Io io Hierusalem.
Hinc tu propinquis fæminis
Stipata, templum principis
Intrabis omni gaudio,
Datura dotes singulis,
Et gratiarum munera.
Io io Hierusalem.
Nascentur inde nobiles
Viro, tibiq; filij,
Terræ futuri principes,
Beatiores omnibus,
Io io Hierusalem.
Illi subinde nominis
Tollent ad astra uim tui,
Per se, suosq; filios,
Et per nepotum posteros,
Io io Hierusalem.
Qua propter omnes urbium
Ciues, & orbis incolæ
Quicunq; uiuent undiq;
Dicent Deorum principem,
Aeterna, te per sæcula,
Vale Vale Hierusalem.

IN PSALMVM DE PROFVNDIS clamaui ad te Domine Paraphrasis.

IMO conditus in specu
Horrentis Barathri. clamo perennibus
Ad te uocibus ò Deus,
Aures tu precibus flecte precor meis,
Et longis querimonijs,
Nàm si respicias quàm miserabili
Mergar gurgite sordium,
Iracunda tuæ uerbera dexteræ
Ecquis sustineat satis?
Nam cum tu medicas admoueas manus
Nostris præsidium malis
Auctorem te hominum noscimus, & Deùm
Mitem, præcipuum, bonum,
Hinc hinc sustineo quicquid id est, libens
A te quod uenit asperum,
Hinc spem concipio cordis in intimis
Ingentem penetralibus
Quare ò uos homines rebus in omnibus
Sperate in dominum omnium,
Noctes, atq; dies, ille etenim dabit
Quod speratis amabilis,
Solus nanq; pius, solus & est bonus,
Qui nos a scelere abluit,
Ille ergo egregius nos medicus suo
Sanabit medicamine,
Mundabitq; animas sordibus illitas.

IN PSALMVM DEVS MISEREAtur nobis. Peraphrasis.

O Vtinam nobis rector terræq; poliq;
Mitescat, ponatq; feroces
In nos ille animos, uultumq;, oculosq; benignos
Vertat in auxilium miserorum,
Agnoscamus ut inde uiam, ueramq; salutem
In terra quæramus, egentes,
Vnde omnes populi fateantur, numine cuncta
Esse creata Dei omnipotentis,
O quam lætitiam accipiet, quæ gaudia mente
Concipiet sibi quisq;, fruendo,
Quando hic purpureos submittit sedula flores
Natura, & fructus uberis agri,
Aspiciat Deus hanc mentem, foueatq; popelli
Ipse sui, ut pater optimus, atq;
Illum omnes terræ, & gentes uenerentur, adorent
Et laudent patremq;, Deumq;.

INCESSENTES DEVM CONVI-
cijs esse deteriores omnibus bestiis.

SAluete Veris Nuntiæ
Aues canentes molliter
Per arborum cacumina,
Pulchris amictæ floribus,
Et frondibus uirentibus,
Dum uos querelas funditis,
Lætas querelas suauiter,
Siluæ resultant sibilis,
Et mollibus concentibus,
Aureq; fæcundissimæ
Afflant tenella gramina,
Amoris almo spiritu,
Quo fæta terra pullulat
Ab intimis præcordijs,
Opes ferens ditissimas
Aprici in oras luminis,
Dum uos canoro gutture
Deducitis dulcissimos
Modos, & amnes murmurant
Altis cadentes montibus,
Aurora formosissima
Pectens capillos aureos
Apparet alto ex æthere,
Solisq; dotes explicat,
Pulsis tenebris, uiuidas,

Vos estis optatissimæ
Amænitatis Nuntiæ
Testesq; fæcundissimæ
Cœlestium concentuum
Terræ colonis, optima
Superna metientibus
Plerunq; per quæ uiderint,
At uos supernum agnoscitis
Numen, quod implet omnia,
Eiusq; laudes uocibus
Dulcissimis componitis
Nam Sol prius non occidit,
Et mane nullo nascitur
Quin laudibus dignissimis
Plaudatis illi sedulæ,
Vos hem genus, quod lumine
Nostri caretis spiritus,
Totæq; abitis mortuæ
Obliuionis in chaos,
Quandoq; tandem agnoscitis
Deum, deorum Principem,
Et debitis honoribus
Certatis illum prosequi.
Barriq; formidabiles
Proceritate corporum
Indis in altis montibus,
Et in remotis saltibus
Atlantis enormissimi

Solem ſalutant nutibus,
Lunamq; mane, ac ueſpere
Et ſaltitant, & barriunt,
Et ambiunt proboſcide,
Humiq; proni decidunt
Honoris ergò ſupplices,
Eſt & Hyæna in Africæ
Horrenda ſiluis bellua
Inſtar leonis pectore
Tenus, iubis longisſimis,
Mox & papillas Virginis,
Et os habet pulcherrimum,
Ceu ſponſa compta purpura,
Et indicis monilibus,
Illa nihil crudelius
Natura, & appetentius
Noſtri, creauit, ſanguinis,
Noctis tamen ſilentio,
Oblita cedum, & innocens,
Et facta iam tractabilis,
Lunæ nitenti concinit
Afris preces ſermonibus,
Quid dixero de Viperis?
Quid de feris inmanibus,
Quas terra iniqua ſuſtinet?
Nulla eſt Dei potentiam
Quæ ex inſtituto non amet
Vt, & colat ſanctisſimam,

At nos propago cælitum,
Exculta sacris legibus
Stirps regia, & cælestium
Felicitatum particeps,
Diuina proles spiritu
Aeternitatis maximæ
Herede constans, omnibus
Viuentibus felicior,
Nos inquam inanis postmodum,
Et imminentis uictima
Lethi, nihil cognoscimus
Nostrum supremum principem,
Omnis datorem gratiæ,
Quinimmo, sæcla ò funditus
Ingrata, linguæ fulmine
Vos lancinatis impij
Vestrum patrem conuicijs,
O uulgus ignauissimum,
Cum sic parentem uellicas
Crudelibus conuicijs,
Nihil uereris inferos,
Non flumina flammantia,
Non sulphur ardentissimum?
Non credis ergo Titios?
Prometheosq́; & Tantalos?
Non excubantes Vultures?
Rotas echydnas, dipsadas?
Non quicquid est miserrimum?

Tandem ò genus lectissimum,
Diuinæ opus clementiæ,
Vestras opes agnoscite,
Ad uos redite deuij,
Placate patrem supplices,
Mauultis esse filij
Iræ, an beatæ Gratiæ?
Hæc uos beabit, altera
Merget Barathri putidis
In fontibus perenniter,
Et sempiternis ignibus.

Ego Frater Reginaldus Nerlius Mantuanus Inquisitor Bononiensis, omnia quæcunq; suprascripta sunt, & Proto, & Laudo.

Impressum Bononiæ apud Anselmum Giaccarellum, Idibus Septemb. M. D. LIII